

# Jerzy Zathey

---

## Ze źródeł do dziejów walki klasowej w żupach krakowskich

---

Pamiętnik Biblioteki Kórnickiej 5, 177-184

---

1955

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

non impediemus, nec impedire debebimus quovis modo. Preterea adiecumus, quod memoratus zupparius in zuppis predictis tot et tanta bona in tempore, quo ipsas zuppas resignaverit, nobis in eisdem zuppis relinquere debet, fideliter quanta fuerunt eodie, quo tempore N[icolaus] zupparius per strenuum militem Clementem de Moskorzow vicecancelarium nostrum fidelem dilectum conscripta invenerit in eisdem. Insuper volumus, ut, si aliquibus debitibus memorato N[icolaus] obligati fuerimus infra decursum predictorum duorum annorum, extunc ipsi N[icolaus] zuppario licet sit eadem debita de zuppis predictis infra eorundem duorum annorum spaciū || exigere et levare integraliter et ad plenum. Debetque idem N[icolaus] zupparius tempore t(h)enute earundem zupparum tantum de sale excidere seu effodere de eisdem, quantum poterit vendere de eodem, ita, quod nullum sal beat pro se retinere indebit cum easdem zuppas resignabit fideliter sine dolo et fraude. Et nos in singulis Regni nostri locis ad id opportunis volumus seriose inhibere, ne sal aliquod de aliis extraneis partibus ad Regnum nostrum Polonie predictum adducatur. Eximimus insuper prefatum Nicolaum zupparium ab omni jurisdictione et iudicio omni palatinorum, castellanorum, iudicum, subiudicum et quorumlibet officialium nostrorum in factis dumtaxat zuppas nostras huiusmodi concernentibus taliter, quod coram ipsis citatus minime respondebit nec aliquas penas soluet, sed tantum coram maiestate nostra vel cui eundem specialiter commiserimus iudicandum, aut cuius de iure interest, ad obiecta cuiilibet respondebit. In casu precipue quo iam dictum N[icolaum] zupparium ex pestilencia et mortalitate aut ex gwerris huiusmodi, quas deus avertat, aliqua dampna incurtere contigerit, extunc dampna huiusmodi iuxta assencionem et pronunciacionem octo virorum fidei dignorum assumendorum, quatuor videlicet nobilium et quatuor consulum Cracoviensium per nos debent defalcari. Harum quibus sigillum nostrum etc.

Actum in Sanok. Anno domini etc. per manus Reverendi patris domini Nicolai Archiepiscopi Gnesensis etc.

B. K. 194

k. 124 v

DODATEK NR 2

#### Recognicio Petri Pykaran super tenutam zupparum [21. XI. 1406]

Ego Petrus Pykeranus de Weneciis recognosco tenore presentium, quibus expedit universis, presencium noticiam habituris, me apud Serenissimum Principem dominum Wladislaum Regem Polonie, dominum meum graciosissimum, zuppas sui salis utriusque videlicet Bochnenses et Wyelicienses a die date presentis, scilicet a die dominico proximo post octavam Sancti Martini ad quatuor annorum decursum sese continue sequencium arendasse, emisse et convenisse, prefectusque sum in zupparium legitimū zupparum earundem infra quadriennium antedictum, modis et condicionibus taliter interiectis, quod quolibet anno dictorum quatuor annorum: decem et septem milia marcarum numeri polonicalis, quadraginta octo grossos in marcam quamlibet computando, quarum due partes erunt monete currentis et tercia latorum grossorum pragensium sive florenorum, ratione empionis et conventionis zupparum huiusmodi iuxta ratam quatuor temporum ipsi domino Regi dare et solvere debo et ad thesaurum ipsius efficaciter infiscare me astringo. Ita tamen, quod de gracia Regie Maiestatis speciali infra eorundem quatuor annorum spaciū a die date presentis ad viginti septimanarum defluxum, quarum spaciū transibit a die dominica predicta, usque ad octavam Conductus Pasce, dictas zuppas libere tenebo et eas dispensababo, nullas soluciones de eisdem sibi faciendo || Eo eciam specialiter interserto et expresso, quod omnes defectus zupparum minas sali-

fodinarum seu montanorum aut edificiorum et domorum supra terra vel sub terra in eis omnibus, que reformari poterint, iuxta informacionem subcamerarii et magistri moncium reformare, ratificare et instaurare tenebor propriis pecuniis et expensis parata montana debito moderamine emendabo, et in ipsis novum sal fideliter inveniendo et querendo, quadraginta eciam equos Regales cum duobus famulis ipsos equos attemptandum deputandis locare in eisdem zuppis et pabulis sufficienter pabulare debebo ac proprios famulos adiungere, quotquot ad procurandum eosdem equos fuerint opportuni, iuxta consuetudinem antiquitus observatam. Dum autem ipsum Regem ac eius Consortem dominam Reginam ad quamlibet zupparum earundem bis in anno tantummodo venire et descendere contigerit ipsis et eorum curiensibus necessaria victualium et pabuli ministrare, dominoque Regi predicto per centum florenos et eius Consorti domine Regine per quinquaginta donare debebo et realiter pagare cum effectu. Qui eciam dominus Rex centum bancos salis quolibet anno de zuppis predictis debet distribuere, quos sibi non carius nisi per mediam marcam debebo computare. Reliquum vero sal, si quod ultra dictos centum bancos salis de eisdem distribuerit, michi computari debet iuxta consuetudinem diuicius observatam, quod eciam sal tempore mei zuppariatus nimis carum facere non debeo, ne homines Regni per magnam ipsius caristiam graverentur. Preterea cupiens incomoda futurarum altercationum et cavillationum, que circa raciones plerumque committebantur, evitare, et eis debitum facere moderamen, cum eodem domino nostro Rege graciosissimo taliter ordinavi, quod sallaria perpetua et signanter ecclesiarum Gneznensis, Cracoviensis, Bochnensis, Nyepolomiensis, Staniciensis, Myechoviensis, que Bergrecht dicuntur, et sallaria Thoporowe et sallaria cancellarii, mareschalci et aliorum, nunquam ad aliquam debebo ponere rationem. Ipse eciam dominus Rex in instituendis destituendis dictarum zupparum officialibus michi itaque et nulli alteri liberum commisit arbitrium, ita quod de ipsis libere disponere potuero, iuxta quod michi melius videbitur expedire. In quibus quidem zuppis tot et tanta relicita tempore mee resignacionis fideliter debebo relinquere, quanta tempore mee intromissionis in eisdem reperta fuerunt et inventa, ac per honorabilem Nicolaum prepositum Sancti Floriani, Regni Polonie vincerelarum nota articulatim et conscripta. In casu vero, quo ex pestilencie, quam deus auferat, aut Gwerrarum eventu aliqua, quod absit, dampna in eisdem zuppis me percipere // contigerit extunc dampna huiusmodi iuxta decisionem et pronunciacionem octo fideiignorum virorum utrobique assumendorum, quattuor videlicet nobilium et quattuor consulum Cracoviensium ipse dominus rex tenebitur defalcare. Quas eciam zuppas, interim, quod eas in arenda tenuero, evacuare indebet non debeo. Et non plus de sale effodere, nisi quantum vendere potuero, sine fraude atque dolo. Sic quod nullum sal aliquo modo aut coloré exquisito, pro se usurpare debebo, nec in deposito reponere, aut quacunque occasione per se vel per alios ipsum reservare, dum zuppas debebo resignare, quas utique fideliter me astringo resignare. Et si aliquod sal in deposito tunc inventum fuerit ipsum, integre pro thezauro domini Regis debet infiscari et converti. Qui quidem dominus Rex in singulis sui Regni Polonie terris seu locis debet seriosissime prohibere, ne sal aliquod de aliis partibus ad Regnum suum adducatur. Ego vero omnes vectores et quoslibet homines pro sale emendo venientes debebo circa iura et consuetudines antiquas dimittere, nec eos aliquibus gravaminibus noviter inventis aut inveniendis opprimere, vias eciam, pontes et itinera destructa ratificare et meliorare debebo iuxta consuetudinem diuicius observatam ac tuciorem accessum vectoribus et aliis pro sale venientibus procurare. Qui eciam dominus Rex me ab omni jurisdictione judicio et potestate omni Regni sui palatinorum, castellanorum. judicum, subjudicium et quorumvis

officialium suorum in factis dumptaxat zuppas concernentibus me liberavit graciosius et exemit, taliter quod coram ipsis cit(t)atus minime respondebo nec aliquas penas solvere debebo, sed tantum coram Magestate Regali aut cui me specialiter commiserit iudicandum sive cuius de jure intererit, ad obiecta cuilibet respondebo. Zupparum eciam et mei Petri familiares per quem-piam non debebunt iudicari, nisi per me ipsum et subcamerarium et iuxta modum ab antiquo observatum. Harum quibus etc.

B. K. 194

DODATEK NR 3

k. 151v — 153v

## Sequitur forma arendacionis zupparum (4. III. 1425)

Wladislaus dei gracia etc.

Significamus etc. Quomodo sepe inter ceteras curas solicitudinis nostre solet nobis occurtere thezaurorum nobis et regno nostro ab altissimo concessorum memoria, de quibus non modica subsistit meditacio, ut, quemadmodum illos sceptra regni nobis a deo commissi assumendo invenimus, regendo augeamus. Cum autem zuppas nostras Welicienses et Bochnenses in sorte aliorum thezaurorum nostrorum non minori estimacione reputamus, volentes sic ipsorum comodo intendere, ut tempore nostri regiminis felicia suscipient incrementa, de consilio et consensu prelatorum et baronum nostrorum ac per medium ipsorum, videlicet Alberti Gneznensis et Iohannis Leopoliensis archiepiscoporum, necnon Sbignei Cracoviensis, Andree Poznaniensis, Iohannis Chelmensis episcoporum et magnificorum Cristini D. castellani, Iohannis Cracoviensis, Sandziwogy Poznaniensis, Nicolai Sandomiriensis palatinorum, Iohannis Schaffranyecz cancellarii et Stanislai Czolek vicecancellarii regni nostri ac Petri subcamerarii Cracoviensis et aliorum tunc ibi presencium, providis et famosis Anthonio // et Leonardo Iohannis, fratribus germanis de Florencia, mercatoribus fidelibus nostris dilectis, quorum fidem, ingenium et industriam a multis multipliciter receperimus coram nobis commendatam, et exinde plenam de ipsis habentes fiduciam zuppas predictas Welicienses et Bochnenses cum suis omnibus iuribus modis et consuetudinibus, cum quibus ipsas felicis memorie Petrus Pykerani, mercator de Weneciis, dum viveret in humanis, habuit, gubernavit et in arenda a nobis possedit, tenore presencium ad sex annos continue se sequentes convenimus, locavimus, vendimus et vendidimus ambobus in solidum pro decem et octo milibus marcarum et quingentis marcis monete currentis quadraginta octo grossos in quamlibet marcam computando, cum tercia parte latorum grossorum Pragensium vel in auro boni et iusti ponderis nobis vel nostris successoribus singulis annis arendacionis ipsorum ad nostras quittancias et mandata dandis, tradendis et cum effectu assignandis etc.

Ut autem liberius et securius zuppe predice per Anthonium et Leonardum zupparios nostros regantur et dirigantur ducanturque, volumus et decernimus ipsis plenam habere potestatem omnes officiales zupparum, quocienscunque ipsis videbitur, deponendi et alias instituendi vel loco illorum surrogandi pro beneplacito ipsis voluntatis, non obstantibus quibuscunque litteris nostris regalibus quibuscunque personis datis vel concessis, sallaria vero carbariorum, qui sua ad tempora vite obtinent officia, qui cum prefatis zuppariis de suis sallariis competenti modo debent concordare, ita, quod carbarii predicti non sint nimis circa sua exposcenda apud ipsis zupparios sallaria excessivi, et, si concordare non poterint, subcamerarius bono modo, si poterit, debet eos concordare.

Et ne per varia iudicia et calumnias litigantium prefatos zupparios contingat

succumbere et circa reformacionem zupparum negligentes et esse remissos, volumus quod citati per quamcunque personam et pro quibuscunque causis et coram quibuscunque iudicibus regni nostri minime respondeant, nec aliquas penas proinde vel ratione contumacie persolvant eisdem iudicibus vel illis, a quibus citabuntur; sed tantummodo sint astricti respondere de se querulantibus coram nobis vel cui alteri commiserimus specialiter iudicandos; officiales vero ipsorum dumptaxat coram ipsis vel altero eorum pro omnibus causis magnis sive parvis.

Item promittimus et plenam concedimus facultatem zupparis predictis novas foveas in utraque zuppa. Veliciensi et Bochnensi, inveniendi, fodendi et more aliarum fovearum dudum inventarum ipsas construendi, edificandi et disponendi iuraque solita in eis amplectendi.

Item volumus amodo, ut in zuppis nostris aliqui equi pabulandum locarentur preter quadraginta equos nostros, quorum viginti in una, totidem in alia zupparum locabuntur, et ad hoc unum in Bochna, aliud in Weliczka familiares pro recipiendis pabulis equorum predictorum deputabimus, et si plures erunt necessarii familiares ad equos huiusmodi attemptandos, zupparius tenebitur providere; equi autem subcamerarii more solito et thezaurarii sex foveantur per ipsos in zuppa, alii vero equi aliorum, si quos voluerimus ponere in pabulis, in hospiciis collocentur, et pabula ipsorum ad rationem pecuniarum nostrarum computentur.

Item quociescunque nos vel consortem nostram [ad] aliquam zupparum venire contingerit, non teneantur nobis zupparii preter unam diem expensas et necessaria ministrare, sed si manere alia die voluerimus, ad rationem pecuniarum expensas, nobis quas ministraverint, computabunt; centum autem florenos nobis qualibet vice, nostro autem consorti per quinquaginta dono dare tenebuntur; eciam centum bancos salis anno qualibet distribuere poterimus de zuppis predictis, qui banci nobis per medium marcam debebunt computari; aliud vero sal, quod ultra dictos centum bancos distribui voluerimus de zuppis predictis, nobis bancus computabuntur quilibet iuxta modum diucius observatum; per donationem tamen salis nimiam anno isto zupparios non debemus aggravare.

Item nolumus zupparios prefatos ad solvendum debita primorum zuppariorum vel quittancias renovatas aut quatuor tempora preterita compellere, presertim duobus annis primis arendacionis ipsorum, ut sic respirare valeant et zupparum profectibus felicius providere.

Item volentes, ut zupparii predicti a dampnis gravibus redderentur immunes, cum ex officio ipsorum non debent incommoda sentire, sed profectus ordinamus, disponimus per presentes, quod si divina permissione, durante arendacione ipsorum in regno nostro gwerre, pestilencie vel fames orerentur, propter que ipsi zupparii dampnis non carerent, extunc debent eis hec dampna in rationibus nostris per octo personas, videlicet quatuor nobiles et totidem consules civitatis Cracoviensis, quos hincide cum dictis zuppariis elegimus, compensari, prout illi octo deum habentes pre oculis diffinient et decidant, quorum pronunciacioni tam nos, quam zupparii predicti obedire debebimus et parere.

Item volumus singulis annis arendacionis ipsorum raciocinistas nostros ad recipiendum ab eis de expositis rationem [deputare], dum fuerimus per ipsos requisiti. aut tempus ad hoc vacaverit idoneum.

Ceterum subcamerario, capitaneo Cracoviensibus, qui pro tempore fuerint, et aliis officialibus nostris mandamus, quatenus prefatos zupparios nostros ab omnibus violenciis et oppressionibus debeat protegere et tueri, quando et quociens per ipsos fuerint requisiti; nichilominus attribuentes prefatis capitaneis nostris, pro tempore existentibus et qui presentibus fuerint requisiti, plenam potestatem omnes iniuria-

tores, offensores et violatores, quos coram ipsis nominaverint, arcendi, castigandi et corrigendi iuxta eorum excessus qualitatem.

Preterea ut ad reformacionem zupparum et defectuum ipsarum ac obsequendum et serviendum nobis dictos zupparios reddamus prompiores, ipsis donamus, damus et largimur predictas zuppas cum ipsorum proventibus universis per spacium quatuor septimanarum a data presencium continue se sequencium et quatuor aliis annis sequentibus duas septimanas pro quolibet anno simul liberas et sine aliqua solutione obtinebunt; sexto vero anno et ultimo arendacionis ipsarum sine aliqua addicione septimanarum arendacionis predicte precium nobis solvent, eo tamen specialiter interserto et expresso, quod idem Anthonius et Leonardus zupparii omnes defectus zupparum et ruinas salifodinarum seu montanorum aut edificiorum et domorum supra terram et sub terra in omnibus, que reformari poterint, iuxta informacionem subcamerarii et magistri moncium facere, reformare, rectificare et restaurare tenebuntur propriis pecuniis et expensis, parata montana debito moderamine emendando et in ipsis novum sal fideliter inveniendo et querendo.

Postremo nullum sal extraneum ad loca, ubi sal Weliciense et Bochnense duci solet, ducere aut ipso uti permittemus et tenore presencium inhibemus decernentes, ut ubicunque sal huiusmodi repertum fuerit, per zupparios vel eorum nuncios et fautores illud cum curribus aquis submergatur, omnes autem capitaneos, consules civitatum et alios officiales nostros, qui fuerint ad hoc requisiti, obligamus, ut ipsis ad recipiendum sal huiusmodi et venditores capiendum, quociens opus fuerit, auxilia, consilia et favores continuo ministrarent; deinde zupparis predictis consentimus, quod in solucione pecuniarum, quas nobis solvere de zuppis nostris obligantur, dumtaxat quittancias nostras et non aliorum debent recipere; in hoc tamen non intendimus iuri alicuius, si habuerit aliquis ratione suorum sallariorum, aliquatenus derogare.

Preterea cupientes incommodis futurarum altercationum et cavillationum, que circa raciones plerumque committebantur occurrere et in eis debitum facere moderamen, cum eisdem Anthonio et Leonardo taliter convenimus, quod sallaria perpetua et signanter ecclesiarum Gneznensis, Cracoviensis, Bochnensis, Mechoviensis, Nyepolomicensis, eciam sallaria, que Bergrecht dicuntur, et sallaria Toporowe et sallaria castellani Cracoviensis, cancellarii, palatini, subcamerarii nunquam nobis debent poni ad aliquam rationem.

EIAM idem Anthonius et Leonardus zupparii tempore, quo easdem zuppas tenuerint taliter arendatas, non debent zuppas indebite evacuare, sed de sale tantum effodere, quantum sine dolo et fraude possint vendere, quod sic nullum sal aliquo modo aut colore exquisito tam in regno, quam extra regnum pro se debent usurpare, nec in deposito reponere, aut quacunque occasione per se vel per alios ipsum reservare; dum zuppas dimittere voluerint, quas utique debent fideliter resignare. Si autem aliquod sal in deposito vel in aliis locis regni vel extra inventum fuerit, pro nostro infiscabitur thezauro Magestatis.

Addicimus etiam, quod memorati Anthonius et Leonardus zupparii in zuppis predictis tot et tanta derelicta in tempore, quo ipsas zuppas resignaverint, // nobis relinquere debebunt fideliter, quanta fuerunt die, quo idem Anthonius et Leonardus conscripta in eisdem invenerunt, si autem pauciora dimiserint nobis, ea persolvent pecuniis in paratis, si autem plura, ipsam ad nostram sibi ponere faciemus rationem; illo eciam non obmisso, quod idem zupparii sal non debent nimis carum facere, nec pauperes homines aliquibus novis adinvencionibus opprimere, ne homines regni nostri per nimiam eorum caristiam gravarentur; sed omnes vectores et homines quoslibet pro sale venientes debent circa iura et consuetudines antiquas dimittere, nec eos aliquibus gravaminibus noviter inventis aut inveniendis opprimere, quodque

idem zupparii vias, pontes et itinera distinctas iuxta modum et in locis ab antiquo tentis reformare, aptare, preparare et rectificare tenebuntur, ut melior ac tucior accessus vectoribus et aliis pro sale venientibus prebeatur.

Item laboratores debent in eorum precio et sallariis sine dilacione et negligencia, quandocunque laboraverint, expedire; et ipsi laboratores [debent] iuxta consuetudines solitas in montibus absque omni contradiccione laborare.

Ceterum circa vendicionem salis hominibus regni nostri tam nobilibus quam vulgaribus ab antiquis consuetudinibus et moribus non recedant quovismodo.

Item ne contingat in posterum, quod propter ambiguitatem sallariorum scilicet marschalci et thezaurarii nostrorum et ipsius thezaurarii equorum, quod debeant in pabulis zuppariorum collocari, tam in rationibus, quam aliunde cavillari, decernimus, quod per prelatos et barones nostros, quos ad rationem faciendam cum dictis zuppariis prima vice deputabimus, istius dubii materia decidatur et cognoscatur, an sallaria predicta cum antiquis, que nobis ad rationem nostram non ponuntur, vel cum novis, que poni nobis in rationibus consueverunt, debeant computari, et quot equi pro thezaurario predicto pabulari. Si autem pro dictis zuppariis decidetur, quod ipsis ista sallaria in ratione ponerentur, ad alias zupparios, quibus iterum in posterum contingat zuppas convenire, nolumus istam cognitionem transferri, sed in nostro et nostrorum successorum arbitrio et dispositione remanebit.

Harum, quibus sigillum Maiestatis nostre appensum est, testimonio litterarum. Actum Cracovie, dominica Reminiscere etc. anno domini etc. XXV [4 Martii 1425], presentibus prelatis et baronibus quibus supra, quorum nomina hic ponantur. Datum per manus wenerabilium Johannis decani Cracoviensis cancellarii et Stanislai Czolek, custodis Gneznensis, Regni Polonie vicecancelliarii sincere nobis dilectorum. — Iacobus Stanislawyecz.

B. K. 203

DODATEK NR 4 \*

k. 38-40v (Kopiariusz dokumentów Archiwum Koronnego z XV w.)

*Dispositiones et ordinationes circa Arendaciones tam Cracovie,  
quam Russie zupparum tempore Wladislai Regis facte. (25. X. 1434).*

Nos Anthonius de Florenciis et Seraphin de Cracovia salis utriusque et Russie zupparii recognoscimus, tenore presencium, quibus expedit universis nos zuppas salis utriusque et Russie videlicet Bochnensis Vyelicensis in Cracovie, et Premisiensis, Sanoczensis et Jassenycka in Russie terris sittas et creatas a Serenissimo principe et domino domino Wladislao dei gracia Rege Polonie domino nostro gracissimo arendasse et convenisse ambo in solidum cum omnibus Juribus consuetudinibus et depositis salis, cum quibus ipsas Petrus Picarini mercator re Veneciis strenuusque et nobiles domini Abraham et Nicolaus de Tarnawa, ego vero Anthony habuimus, habuerunt, tenuerunt et gubernarunt et in arenda a Sermo principe domino Wladislao dive et eterne memorie Polonie rege domino gracissimo possederunt ad sex annos continue se sequentes, quinque annis per quindecim milia marcarum, sexto vero et ultimo pro decem et octo milibus marcarum monete et numeri polonicalium quadraginta octo grossorum in quamlibet marcam computando, cum tercia parte latorum grossorum pragensium, aut excrescensiis in moneta polonicali vel in auro, iusti et veri ponderis hungaricali solvendis, tradendis et cum effectu pro thesauro Regio per nos quibuslibet quatuor temporibus annorum pre-

\* Dokumenty dodatku nr 1–3 wydaje uzupełniając wydanie Ulanowskiego z zachowaniem ortografii rękopisu. Podobnie wydaje też niedrukowany jeszcze dokument nr 4, który powyżej uzupełnia. W tekście nie jest on wspominany, bo znalazłem go już po napisaniu artykułu, a data nie następuje wątpliwości.

dictorum, iuxta ratam ex eisdem summis milium provenientem vel ad mandata regia assignandis et specialiter singulis septimanis, hoc est diebus sabbativis pro expensis ipsi domino Regi ministrandis de triginta marcis et quatuor temporibus de jure solvi et in ratione computatarum debitorum volumus responderi ad rationem milium et summarum arendacionis nostre, que nobis ad rationem debebunt poni et computari et ut ad reformacionem zupparum predictarum / et ad serviendum prefato domino Regi tanto essemus prompctiores. Ipse Sermus dominus noster Rex dedit nobis et largitus est predictas zuppas cum omnibus suis pertinenciis et preventibus universis pro primo anno per spacium quatuor septimanarum a data presencium continue se sequencium et quatuor aliis sequentibus annis duas septimanas pro quolibet anno liberas et sine aliqua solucione obtinebimus, sexto vero anno et ultimo arendacionis nostre sine aliqua addicione septimanarum precium ipsi domino nostro solvere tenebimus. Eo etiam specialiter interserto et expresso quod omnes defectus zupparum ruinas salifodinarum seu montanorum aut edificiorum et domorum supra terram vel sub terra in omnibus que reformari poterint, iuxta informacionem succamerarii et Magistri moncium ymmo et vias reformare, restaurare et ratificare tenebimus propriis pecuniis et expensis; parata montana debito moderamine emendando et in ipsis novum sal fideliter inveniendo et querendo. Quadragesima eciam equos regales cum duobus famulis ipsos equos attemptandum deputando locaret in eisdem zuppis et pabulis sufficienter pabulare debemus et debebimus ac proprios famulos adiungere, quotquot ad procurandos eosdem equos fuerint necessarii iuxta consuetudinem antiquitus observatam. Dum autem ipsum dominum regem aut eius consortem dominam Reginam divina favente clemencia habendam ad aliquam zupparum earundem semel in anno tantum venire descendereque contingit ipsis et eorum curensibus necessaria victualium et pabuli ministrare domino quoque regi predicto centum florenos et pro eius consorte domina Regina quinquaginta donare debebimus et realiter pagare cum effectu. Qui eciam dominus Rex centum bancas salis quolibet anno de zuppis predictis debet distribuere, quos sibi non carius nisi per mediam marcam debebimus computare. Reliquum vero sal, si quid ultra centum dictos bancos de eisdem zuppis distribuerit, nobis computare debebit iuxta consuetudinem diucius observatam / Nulli tamen sua serenitas plusquam decem bancos de bancato et decem tunnas de minuto ruthenico sale dabit, quod etiam sal tempore nostri zuppariatus minus carum facere non debemus, ut homines per magnam ipsius caristiam gravarentur. Et si nunc suprascripta non adimplevimus et signanter si circa reformacionem et reparacionem zupparum atque viarum ymmo restauracionem etolucionem peccuniarum in quibuslibet terminis et annis et quatuor temporibus annorum septimanalibusque essemus negligentes et remissi ex honestate licebit sue Serenitati in tribus annis zuppas predictas de manibus nostris recipere et melius carum commodo intendere, volentibus arendare. Nichilominus repetendo a nobis precium arendacionis si in aliquo remanebimus obligati. Preterea cupientes incommoda futurarum altricacionum et cavilacionum que circa raciones plerumque committebantur evitare et eius debitum facere moderamen cum eodem domino nostro rege graciosissimo taliter arrendavimus, quod salario perpetua et signanter ecclesiarum Gneznensis, Cracoviensis, Bochnensis, Myechoviensis et Nyspolomyczensis et alia etiam salario, que Bergrecht dicuntur et salario toporowe et etiam salario Castellani Cracoviensis, palatini castellani cracoviensis cancellarii succamerarii et aliorum nunquam ad aliquam debemus ponere rationem. Ipse eciam dominus Rex in instituendis et destituendis dictarum zupparum officialibus nobis itaque et nulli alteri liberum commisit arbitrium. Itaque de ipsis libere poterimus disponere, iuxta quod nobis melius videbitur expedire. In quibusquidem zuppis tot

et tanta derelicta nostre resignacionis fideliter debebimus relinquere, quanta tempore nostre intromissionis in eisdem reperta fuerunt et inventa conscripta et notata. In casu vero quo pestilencia, quam deus auferat, aut gwerrarum eventu aliqua, quod absit, damna huiusmodi iuxta decisionem et pronunciaciōnem octo fide-dignorum virorum mutuo assumendorum quatuor // videlicet nobilium et quatuor consulū Cracoviensium, ipse dominus Rex tenebitur defalcare, quas eciam zuppas interim, quod eas in arenda tenuerimus evacuare indebet non debemus nec in debito reponere, nisi quantum vendere poterimus, sine fraude et dolo sic quod nullum sal aliquomodo aut colore exquisito pro se usurpare non debebimus, nec in deposito reponere aut quacumque occasione per se vel per alios ipsum reservare. Dum zuppas debebimus resignare, quas utique nos fedeliter oportebit resignare. Et si aliquid sal in deposita tunc inventum fuerit ipsum integre pro thesauro domini regis debebit infiscari et converti. Qui quidem rex in singulis regni sui Polonie locis debebit seriosius prohibere ne sal aliquid de aliis partibus, ubi sal zupparum predictarum vendi solet, adducatur. Nos vero omnes vectores et quoslibet homines pro sale venientes debebimus circa iura et consuetudines antiquas dimittere nec eos aliquibus gravaminibus noviter inventis aut inveniendis opprimere, vias eciam pontes et itinera destructa meliorare et reformare debebimus iuxta consuetudinem diuicius observatam. Qui eciam dominus rex ab omni iurisdictione judicio et potestate omnium Regni sui palatinorum, castellanorum, judicum, subiudicium et quorumvis officialium suorum in factis dumtaxat zupparum condurrentibus, nos liberavit graciōsius et exemit quod coram ipsis cittati minime respondere ac aliquas penas soluere debebimus, sed tantum coram Maiestate Regali aut cui nos specialiter commiserit iudicandum sive cuius de iure intererit ad obiecta cuilibet respondendum. Zupparum eciam et nostri pariter familiares et infra fluitatores per quem-piam non debebunt iudicari nisi per nos ipsos aut substitutos // nostros nec succamerarius (!) nisi iuxta modum ab antiquo observatum.

Et ut utilius pro thesauro predicto Regni intendamus ipse Serenissimus dominus Rex debebit nos tueri a singulis violenciis in zuppis, nec licebit nobiles et terrigenas nos in eisdem impedire sed si aliqui venerint in hospiciis collocentur et quid dabimus dono vel munere grate suscipiant minimas impressiones nobis et nostris faciendo neque impignoracionis racione penarum iudiciorum a quibus voluimus esse exempti nisi essent de voluntate domini Regis speciali. Ultimo ego Antonius seorsum cupio fore notum universis quibus expedit, quodmodo ipsi Sermo domino Regi restabat actio mecum super certis summis florenorum et aliis debitīs ac pecuniis per serenissimum principem dominum Wladislaum dive et eterne memorie Polonie Regem progenitorem suum charissimum michi mutuarum cum cuius serenitate in hunc finem omnibus complanarum recognitionibus, quittacionibus, differenciis et debitīs ac ipsorum inscripcionibus mutuis que datam presencium precesserunt, — et in nichil redactis deveni et venio per presentes, recognosco que me obligari ipsi domino meo Polonie Regi in mille quingentis florenis hungaricalibus iusti et veri ponderis, cui debito ipsum Seraphin socium meum in nullo volo subiacere pronuncioque ipsum liberum et exemptum. Quosquidem mille quingentos florenos sue serenitati absque dolo. occasione et fraude spondeo, promitto et polliceor solvere in tribus terminis infrascriptis scilicet in festo sancti Michaelis proximo quingentos, in festo sancti Joannis baptiste anni sequentis quingentos et in alio festo sancti Joannis baptiste // anni tertii similiter quingentos ad plenum florenos sub dampnis qui-buscumque harum quibus sigilla nostra presentibus sunt subappensa testimonio literarum. Datum Cracovie feria secunda ante sanctorum Symonis et Jude apostolorum Anno domini 1434.